



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, 1614**

Med. 6. De Iudæ proditione, qua vendidit Christum pro triginta denarijs; & decreto Principum Sacerdotum de eo occidendo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

MEDITATIO VI.

**Q**UOD IVDAS CHRISTVM  
 Dominum pro triginta tradiderit ar-  
 genteis, & Principes Sacerdotum  
 decreuerint ipsum occi-  
 dere.



**I**NTRAVIT autem a Sa-  
 tanas in Iudam, qui cogno-  
 minabatur Iscariotes. vnum  
 de duodecim. Et abiit, &  
 locutus est cum Principibus  
 Sacerdotum, & Magistrati-

a Luc. 22. 3.

bus. & ait illis: quid vultis mihi dare, & ego  
 eum tradam? at illi constituerunt ei triginta  
 argenteos: & exinde querebat opportunita-  
 tem, vt eum traderet.

b Matth. 26.

15.

Marc. 14. 11.

**P**RIMA passionis Christi Domini nostri  
 pars, primaque eius iniuria fuit, quod à Iuda  
 fuerit hostibus suis venditus; quæ fuit vna  
 ex grauioribus ignominiiis, quas sustinuit:  
 quam propterea ipse, cum esset in coena cum  
 discipulis suis, maximè exaggerauit: quare  
 circa eam, sunt perpendendæ omnes circum-  
 stantiæ huius venditionis; quis videlicet ven-  
 ditus sit, & cur permittat se vendi; quis  
 item venditor. & quam habuerit ad venden-  
 dum occasio; quis id illi persuaserit, quam

ob causam, quo p̄ extu; quibus item hęc venditio & traditio fiat, qua opportunitate, in quem finem, quo pretio & modo, ac demum huius venditionis exitus, quia ex singulis horum crescit iniurię magnitudo.

## PUNCTVM I.

**P** R I M V M est considerandum, eum qui cum tanta iniuria venditur, esse IESVM Christum filium Dei viui, totius creaturę Dominum, cuius proprietates est esse inestimabilem: quia eius valor est infinitus, qui immensa suā charitate de cęlo descendit, ut sanguinis sui pretio nos redimeret; & bona gratię & glorię, quę amiseramus, nobis compararet: & in hoc vitam suam totam impendit, innumera conferens hominibus beneficia, quę illos liberaret à seruitute Dęmonis, cui se ipsos peccantes, sponte tradiderunt, iuxta illud

a Isai. 52. 3.

Isaię, a gratis venundati estis, & sine argento redimemini. Hęc igitur supremus Dominus, & omnium tantus benefactor, proditione venditur, atque si mancipium aliquod esset. Quam adeo ignominiosam venditionem, duabus præcipue de causis ipse permisit.

## I.

PRIMA fuit, vt eā satisfaceret ipse pro iniuria, quam ego intuli Deo, dum animā meam Diabolo vendidi, culpā meā. O benignissime Redemptor, fateor, me sicut b Achaz, me ipsum vendidisse ac tradidisse, vt innumera facerem mala in conspectu tuo, propter quę me-

b 3. Reg. 21. 20.

ritus

ritus eram, vt c iuberes me venundari, & omnia c Matth. 18.  
 mea, vt redderem debuum decem millia talem 25.34.  
 forum, sicut seruum illum nequam Euangeli-  
 cum. Sed quandoquidem tu voluisti vendi, vt  
 mea debita persolueres, ea benignè mihi re-  
 mitte, nec patiaris me iterum ea contrahere.

SECUNDA causa fuit, vt nobis præberet  
 raræ humilitatis exemplum: vt enim nostri a-  
 moris intuitu, formam serui accepit; ita vo-  
 luit etiam extremam seruorum abiectionem  
 admittere, quæ est pro pecunia vendi. O dul-  
 cis IESV, quot tu quæris inuentiones ad te hu-  
 miliandum, quò tua humilitate medearis meæ  
 superbiæ! Sana illam Domine semel, siquidem  
 id tantoperè desideras, vt possim ego humili-  
 tatem tuam imitari, sicut desidero.

PUNCTVM II.

**D**EINDE considerandum, creuisse iniu-  
 riam hanc Christi Domini ex eo; quod  
 venditor, non esset hostis aliquis mani-  
 festus, sed eius discipulus, & quidem non ex il-  
 lis, qui communiter ipsum sequerentur, nec  
 ex septuaginta duobus, qui erant magis fami-  
 liares, sed vnus ex duodecim, quos Apostolos  
 nominauit; cui extraordinaria beneficia, &  
 gratias communicauit, manifestans illi sua se-  
 creta, & potestatem ardeus pellendi doemo-  
 nia, & miracula patranda.

CAUSA siue motiuum principale, quo ad  
 hanc venditionem Iudas fuit permotus, fuit

G 3 aua-

II.

I.

II.

auaritia; hinc enim eius iniquitas incepit, & eò  
 progressa est, vt ad culmen peruenerit impie-  
 catis: in quo locum habuit Apostoli sententia,  
 a *1. Tim. 6.* *radix omnium malorum est cupiditas, quam*  
 10. *quidam appetentes, errauerunt à fide, & in-  
 seruerunt se doloribus multis.* Erat Iudas propen-  
 sus ad habendas pecunias & res alias proprias,  
 b *Ecc. 9. 1.* qui cū in paruis, permisit se superari, b *spere-*  
*do modica, paulatim decidit in grauissima:* cu-  
 ram enim habens accipiendi eleemosynas, que  
 c *Ioan. 12. 6.* magistro eius *emittebantur, quia fur erat, &*  
*oculos habens, cœpit aliquid furari, & pro suo*  
*arbitratu, & in suum commodū illud exponere;*  
 & hac ratione cœpit violare votum pau-  
 pertatis: (si verum est Apostolos eo tempore  
 tuisse eo obstrictos) & ita Dei gratiam amisit;  
 d *Ioan. 12. 3.* & quando d *Magdalena, Christi pedes unxit,*  
 eius opus sanctum damnans murmurauit; imò  
 etiam de ipso Christo, quòd illud admisisset: ex  
 qua occasione, ita illum in corde suo odit, vt  
 deuenit ad proditoris scelus, & ipsum ven-  
 deret, vt iacturam illam repararet, quam pu-  
 tabat se fecisse, eo quòd unguentum, quo eius  
 pedes uncti fuerant, non fuisset trecentis de-  
 narijs venditum. Ex cupiditate ergò ortum  
 est furtum, & voti violatio, murmuratio &  
 scandalum, odium in magistrum, & eius pro-  
 ditoria venditio facta eius inimicis. Ex quo  
 apparat extremā malitia, in quam deuenit ho-  
 mo à Deo desertus, qui se finit à suis appeti-  
 tionibus duci. Siquidem hunc videmus, ex di-  
 gnissimo & altissimo statu, qui in tota est Ec-  
 clesia,

clesia, cecidisse in abyssum iniquitatis profundior-  
diorem, quam vnquam fuerit. Quod Christus  
ipse Dominus noster magno & intimo suo sen-  
su perpendit, cum suis Apostolis dixit, e *Non* e Ioan. 6. 71  
*ne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus Dia-*  
*bolus factus est,* atque si diceret, cum ego ipse  
vos elegerim ex mera gratia in Apostolos, v-  
nus ex vobis factus est filius Dæmonis, & ma-  
gnus meus inimicus, culpâ suâ.

Ex hac consideratione magna concipiam  
timorem & tremorem de iudicijs Dei: nam  
S. Bernardo teste, in nullo peregrinorum loco  
est perfecta securitas, nec in ipso cælo; siqui-  
dem ex eo cecidit lucifer, nec in paradiso, ex  
quo fuit pulsus Adam, & multò minus in hoc  
mundo, siquidem Iudas in ipsa Saluatoris scho-  
la perit. Quod tamen non propterea dicitur,  
quasi non debeat locus securior eligi, sed ne,  
postquam talem quis elegerit, curam sui de-  
ponat: & securum se falso existimet, nec cesset  
Dei misericordiam implorare, vt ipsum pro-  
tegat atque defendat. O anima mea quamuis

*Serm. de li-  
gno seno  
stipula.*

nunc *existimes te stare, time, & vide ne cadas;* 1. Cor. 10.  
12.  
si enim qui Apostolus erat Christi, & cum eo  
familiariter versabatur, eius audiens sermo-  
nes, videns exempla & miracula, cur tu non  
timeas cadere, qui nihil horum habes?

O piissime Magister, protege manu  
tua pauperem hunc discipu-  
lum, ne in miserijs cadat  
falsi huius Apo-  
stoli.



## PUNCTVM III.

a Ioan. 13. 3.

**Q**VI scelus illud Iudæ persuasit, (vt ait S. Ioannes) fuit a *Satanas*, tum vt eius animam raperet, tum vt Christo Domino, quem magno odio prosequeretur, vitam adimeret, illumque discipulum ab eius schola & potestate retraheret. In quo facto pendere debeo, Iudæ lapsus, etsi ab ipso cepit, eò quòd propensione suæ deprauatæ se subiecit, creuisse tamen demonis sollicitudine, qui singulis momentis & suggererat, & fouebat eam propensionem, qui etiam ingressus est eius animam: passio enim non mortificata est tanquam domesticus inimicus, qui cordis portam *Satanæ* aperit, vt ingressus, illum præcipitem in abyssum iniquitatis, qui tam diu habitationem & possessionem suam securam habet, quàm diu ipsa passio in corde perdurat. Hinc discam, quàm sit perniciosum vel vnicam malam propensionem non mortificare: ex ea enim laqueum conficit *Satanas*, quo me illaqueet raptetque pro libitu suo, sicut venator, qui vel ex vno vngue aquilam tenet ligatam, facillimè potest alas eius frangere, & amputare caput. O Saluator fortissime, qui venisti, vt *b fortem armatum* qui pacificè animas possidebat, vinceres & expelleres; ostende te esse illo fortiorem, ita ex anima mea illum expellendo, vt amplius nunquam audeat in eam intrare.

I.

S. Dorotheus  
serm. 11.  
b Luc. 12. 22.

DEIN-

II.

DEINDE perpendam plausibilem & apparentem rationem, qua callidus hic serpens, miserum hunc decepit, hoc colore occultans iniquitatem: magister tuus dicit, se hoc paschate moriturum, Iudæi hoc vehementer desiderant, & perficere student. siquidem ergo id futurum est, & tuus magister id vult, parum illi nocebis, si eum vendas; sic enim implebis desiderium, & eadem opera etiam tuum perficies, pecuniam recipiens, quam ex effuso vnguento perdidisti. Hæc inquam ratio Iudam conuicit, quia passio mentem excoecat, efficitque vt facile credat, quicquid ei Dæmon in ipsius fauorem, etiamsi alioqui sit iniustissimum, suggerit. Ex quo discam non adhibere fidem illis cogitationibus, quæ cordi meo, aliqua affectione perturbato sunt conformes; persuadens mihi, eas ab inferni serpente provenire, cuius officium est, nos sicut Euam decipere, proponens nobis, quod arridet, obducendo illud, quod malum est, specie alicuius boni.

## PUNCTVM IV.

I.

CONSIDERANDAE præterea sunt personæ, quibus venditur Christus, & quem in finem illum emant. Qui emerunt, fuerunt Principes sacerdotum, cum Scribis & Phariseis & senioribus populi; ad quos, cum ipsi congregati essent, vt de Christo è medio auferendo tractarent, propter in-



uidiam & rabiem, qua contra illum ardebant, venit Iudas; & conclusa est venditio. Proditor itaque non illum vendit matri ipsius Christi, quæ secundò illum redemisset, sicut infantem in templo redemit, vt illi tenerè indulgeret, nec vendit alijs discipulis aut amicis, qui illum emissent, vt de hostium manibus liberarent, & suum Dominum retinerent; sed vendit infestissimis ipsius hostibus, qui illum comparant, vt exquisitis tormentis vitam ei adimant. O Diabolica vendentis crudelitas! O infernales emptorum furia! Apparet benè, Sathanam esse huius venditionis & emptionis intermedium, quæ in tales fines dirigebatur. O Agnus mansuetissime, quanta iniuria hic afficeris, dum venderis, vt sacrificeris, permanus ad eò crudelium carnificum! O mundi Saluator, hodie es venditus sicut Patriarcha Iacob à fratribus suis, quamuis alio fine: ille enim a venditus fuit praterentibus Madianitis negotiatoribus, vt sic à morte liberaretur: Tu verò venderis vt crudeliter occidaris; ille seruata vita, Aegyptum seruauit: tu morte tua saluasti mundum. Salua me Domine misericordâ tuâ, quem cum pretio tui sanguinis comparaueris, ne quæso permittas, vt me ipsum pro vili peccati pretio vendam.

a Gen. 37. 28

II.

DEINDE perpendendum est, quanta ignominia Christo Domino nostro, ex hac venditione accesserit, apud ipsos emptores, & quantâ patientiâ illam ipse tulerit; cum, etsi corpore procul absens, transfigi tamen videbat.

Cre

Credienim facile potest, Iudam ipsum, vt facinus tam sce- dum, quale erat proprium magistrum vendere, occultaret, multa mala de ipso dixisse in illo concilio. Quod videlicet ipse ab eius schola se subduceret, quia aduertebat ipsum esse legis transgressorem, antiquarum consuetudinum inimicum, voratorē & potarorem in conuiujs, quod nimium sibi indulgeret, & prodigus esset permittens quādam mulierē vngere sibi caput & pedes pretiosissimo vnguento, quod trecentis denarijs vendi potuisset: quæ omnia à toto concilio magno applausu & gratulatione audiebantur, nullo quicquam adferente pro ipso Christo. O dulcis magister, quod nemo sit, qui falsi huius murmuratoris obturet os, nec qui pro tua innocentia, vel verbum dicat, sicut tu dixisti pro Magdalena, cum ipse Iudas contra eam murmuraret! quam meritò per os tui Prophetæ conquerens dixisti: *quoniam si inimicus meus male dixisset mihi, sustinuissem vtique: & si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset: abscondissem me forsitan ab eo; tu verò, ò Iuda homo vnantius, & notus meus, & ita meus, vt simul mecum dulces cibos caperes, & in domo Dei ambularem cum consensu, quomodo me eradidisti!* Magna fuit Domine iniuria hæc tua: sed multò maior est patientia: nam plus doloris tibi adfert culpa iniuriam inferentis, quàm damnum tibi ex eadem proueniens. Ex hoc exemplo solatium accipere possunt Magistri, Prælati & Principes, quando sine propria ipso-

*Psal. 54. 13.*

ipforum culpa, discipuli aut iudici, illis detraxerint.

III.

FUIT denique magnum Christi dedecus, apud illos homines & totum populum, quod ex eius schola, prodiret discipulus, ad eum pecuniarum cupidus & detestandus, ut propriam magistrum venderet, externis exhibitis indicij: magni in eum odij: ex quo eius hostes occasionem sumerent dicendi, qualis est discipulus, talis & magister. O coelestis magister, ne quæso permittas me mala vita mea, te afficere ignominia, nec e vi mei causa, *nomen tuum blasphe-metur inter gentes.* Simus Domine omnes tui discipuli tales sicut es tu, vnicus magister noster, ut omnes simus *gloria tua.*

c Isa. 52. 5.

c Rom. 2. 24.

d 2. Cor. 8.

23.

PUNCTUM V.

PRETIUM, quo fuit Christus Dominus noster venditus, fuit triginta denariorum illius temporis: pretium verè vilissimum, & pro simili a venditus fuit Ioseph a fratribus suis: & communiter a Iudæis, eodem pretio suos seruos aestimabant, quando ab aliquo occidebantur. Quod ipsum grauiorem multò reddit iniuriam Saluatoris: ex hoc siquidem apparet, quàm vili aestimaretur, tam a vendente, quàm ab emptoribus. sed multò adhuc maior iniuria censetur illata, ex modo patiscendi. Nam discipulus ille alicuius pecuniarum cupidus, pretium remisit emptorum voluntati, dicens: *quid vultis mihi dare, & ego eum vobis*

a Gen. 37. 28.

b Exo. 21. 37.

tradam

tradam, atque si diceret: date mihi quod libuerit, ego eum manibus vestris tradam. Illi tum ob auaritatem vendentis, tum ob suam vilem æstimationem & odium, quo Christum prosequabantur, primo statim verbo, triginta argenteos se daturos obtulerunt: quod pretium pro seruis offerebatur: sed interest tamen; nam pro seruis dabatur tantum ab eo, qui illos occidisset, & in pœnam homicidij, pro Christo verò idem pretium offertur, vt mors illi crudelissima inferatur. O mundi Saluator, quàm tu aliam habes de peccatoribus æstimationem quàm illi de te faciant! Illi te vendunt pro triginta denariis, tu eos comparas pretioso tuo sanguine! Illi in voluntate carnis suæ pretium huius venditionis statuunt: tu in voluntate patris æterni, pretium collocas huius emptionis. O Pater æterne, totius creaturæ conditor, aspice quo pretio tuus filius appetitur! O fili Dei viui, quam merito conquereris apud Prophetam, *c decorum* c Zac. 11. 13 *pretium quo appetitatus sum ab eis sed quoniam formam serui accepisti, non magnum est si & serui abiectionem & vilitatem experiaris, vt seruorum pretio æstimeris. Gratiarum tibi pro prima hac iniuria, quam in tua passione sustinuisti: ego pro eius gratiarum actione me ipsum tibi in seruum perpetuum offero, cupiens & statuens nunquam à tuo obsequio recedere.*

**H** I N C etiam magno pudore afficiar, memor, quod Christum ipsum sæpius vendide

d Zac. 11. 12

rum viliori pretio, quam triginta denariorum pro voluptate videlicet aliqua carnis, pro aliquo punctulo honoris, aut rei temporalis exiguo lucello; sic eum iterum tradens eius hostibus, peccatis videlicet, ut in ipso corde meo illum crucifigam; quare licebit imaginari Christum ipsum mihi dicere, *d si bonum est in oculis tuis, offer mihi mercedem meam* pro tot beneficiis in te collatis, *& si non, quiesce*, quia nolo te cogere. Cui ad eam iustam petitioni, quod ego respondeo operibus, illud est, ut tam vilium pretio tradam, ut mihi merito respondeat. *O decorum & insigne scilicet pretium, quo appetior à te!* Quomodo anima mea non magno pudore suffunderis, dum hoc audis verbum tui Redemptoris! O Redemptor mi, quam iuste abstulisses à me virgam gubernationis tuæ & vitæ meæ filum abscidisses, qui eam tanto opere abutor. Remitte mihi quæso præcedentes iniurias, & adiuua ut te in posterum, prout dignus es, æstimem, ut possis absque ironia aut irrisione dicere, *decorum pretium est, quo me appetias.*

## PUNCTUM VI.

**C**ONSIDERANDUM sextò est, quid post hanc venditionem tam Iudæ ipsi quàm sacerdotum principibus evenerit. Nam PRIMVM Indas, constituto pretio sibi postea dando, spondit, perfectu-

rum

rum se quod promiserat, ideoque valdè sollicitè opportunitatem quærebat, qua eum traderet, quò promissum sibi pretium recipere posset: ideoque ad Apostolorum collegium Christi que societatem rediit, iniquitatem suam dissimulans: nam, quod fidem iam amisisset, existimauit, Christum non esse conscium facti ipsius. Christus verò Dominus noster, eisdem amoris indicis illum admisit, atque si quod ille fecisset, ipse ignoraret: re ipsa exercens hic eminentissimè dilectionem inimicorum: neque enim aut illum reprehendit, aut pudore affecit, aut aperuit eius proditionem, dixerit fortè illi: amice gratus est tuus aduentus, ubi fuisti, quid fecisti? ipse verò falsa & mendacia respondens, non fuit à Christo Domino vel monitus: sed, atque si illi crederet, tacens dissimulauit. O pastor mansuetissime, & pater dulcissime, quid in corde tuo pensasti, cum hunc lupum intrantem vidisti ad oues tuas, ouis pelle contactum, non villarum aliquam abstraheret, sed vt te, pastorem etiam suum, raperet, ac traderet ad mortem. Ille dissimulat, ne lupus agnoscat: tu etsi eum benè noueris, dissimulas tamen; ille venit ex loco, ubi, de te in mortem tradendo, egit: tu autem eum tanto excipis amore, atque si in hoc ipso de tua vita tuenda egisset. O immensa charitas, ô infinita mansuetudo! fac me, quæso, mitem sicut ouem, vt amoris tui intuitu iniurias patiar, à quouis lupo.

II.

a Mat. 26. 5.

PRINCIPES ipsi sacerdotum, etiam manserunt contentissimi sibi que gratulabundi: & mox mutarunt mentem, quam ante Iude aduentum habebant: decreuerant enim non occidere Christum *a in die festo, ne tumultus aliquis fieret in populo: sed postquam Iudas eam spondit, non existimarunt occasionem sibi esse negligendam, ideoque statuerunt, illum occidere, quodcumque Iudas eum tradidisset, nihil iam curantes populi tumultum. In quo apparet tum crudelium horum inimicorum rabies, & anxietas Christum destruendum resplendet sapientia & prouidentia Dei in hoc, ut Christus in eo die festo moreretur, ut verus hic Dei agnus tunc sacrificaretur, cum paschalis ille, qui eius figuram habebat, consuevit sacrificari. O innocentissime agnus IESU, quanto iure possumus te paschalem agnum compellere, siquidem festum tibi reputas & pascha mori, ut nos a morte liberes, & sacrificari, ut vitam nobis dones: & quamuis tui inimici festinent te interficere etiam in festo solemni, tu multo magis properas & acceleras, ut mortem pro illis subeas. Sit benedicta infinita ista tua charitas, propter quam suppliciter oro, ut cor meum tanto feruore accendas, ut festum & pascha mihi reputem, a liquo amore tui pati.*

III.

Ex predictis in hac meditatione duas precipuas causas deducam, ob quas Christus Dominus noster, tanto tempore, Iudam permiserit ac sustinuerit in schola sua, expectans eius

con

conuersionem & poenitentiam. PRIMA fuit  
 causa, vt intelligamus in omnibus congrega-  
 tionibus etiam religiosissimis futuros aliquos  
 improbos, sine culpa eas gubernantis, sicut in  
 hac à Christo ipso selecta, inuentus est Iudas,  
 & propterea S. Aug. in genere dixit, *ad quam*

*Concio. 1. in  
 Psal. 36. co-  
 lum. 2.*

*cumq; professionem te conuerteris, para te pati  
 fidos; nisi enim hoc imprimis deuoraueris, &  
 te ad id sustinendum praparaueris, inuenies  
 quod non sperabas, & vel deficies ab ea vocatio-  
 ne; aut certè plurimum in ea perturbaberis.*  
 SECUNDA causa fuit, vt occasionem ab eo  
 acciperet exercendi, nostri exempli causa, he-  
 roicos mansuetudinis, patientiæ, charitatis &  
 aliarum virtutum actus, qui non possunt exer-  
 ceri nisi adsint inimici: & nominatim, vt exē-  
 plo esset prælatis, & superioribus ipsis malos  
 subditos tolerandi, eisdemque pro viribus iu-  
 uandi, quamuis illi contrà dent ipsis magnas  
 occasiones multa patiendi: nam teste S. Ber-  
 nardo, mali subditi vt onus gubernationis fa-  
 ciunt grauius, ita meritum faciunt copio-  
 sius, & *in quantum grauius, inquit,  
 in tantum lucratis.*

*Epist. 37.*

os so

